

generis clarissimi ac dignitatis suę vitam suam moribus, quibus regem et futurum Deo donante deceret imperatorem, institueret. Postquam autem ad pontificatus apicem, licet indigni, venimus, et illius ętas pariter cresceret et iniquitas, intelligentes Deum omnipotentem tanto districtius de manu nostra animam illius requisiturum, quanto nobis ad increpandum illum pre¹ cunctis libertas data fuisset et auctoritas, multo sollicitius eum modis omnibus arguendo, obsecrando, increpando ad emendationem vitę suę hortati sumus. Qui cum sepe nobis devotas salutationes et litteras mitteret, excusans se cum ex ętate, quod fluxa esset et fragilis, tum quod ab his, in quorum manibus curia erat, multotiens sibi male suasum atque consultum sit, monita nostra de die in diem se promptissime suscepturum verbis quidem² promisit, cęterum re et exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter hęc quosdam familiares suos, quorum consiliis et machinationibus episcopatus *et multa <sup>*f. 2.
(p. 3.)</sup> monasteria inductus³ per precium lupis pro pastoribus simoniaca heresi fędaverat, ad penitentiam vocavimus, quatenus et bona ęcclesiarum, quę per interventum tam scelerati commercii sacrilega manu susceperant, venerabilibus locis, ad quę pertinerent, dum adhuc locus esset emendandi, redderent et ipsi pro perpetrata iniquitate per lamenta penitudinis Deo satisfacerent. Quos dum ad hęc exequenda datas inducias spernere et in consueta nequitia pertinaciter stare cognovimus, sicut dignum erat, sacrilegos et ministros ac membra diaboli a communione et corpore totius ęcclesię separavimus et regem, ut eos a domo sua, a consiliis et omni communione sua sicut excommunicatos expelleret, admonuimus. Interim vero ingravescente contra regem⁴ Saxonum causa, cum vires et presidia regni ex maxima parte a se deficere velle conspiceret, iterum nobis direxit epistolam supplicem et omni humilitate plenam, in qua omnipotenti Deo et beato Petro⁵ ac nobis valde se culpabilem reddens, preces etiam obtulit, ut quod ex sua culpa^{*} <sup>*f. 2.
(p. 4.)</sup> in ęcclesiasticis causis contra canonicam iusticiam et decreta sanctorum patrum factum esset⁶, nostra apostolica providentia et auctoritate corrigere studeremus, atque in eo⁷

1) So hier und noch mehrere mal ausgeschrieben. Also habe ich auch so geschrieben, wo in der Hs. $\bar{p}$ steht. 2) 'quidem' mit anderer blasserer Tinte auf Rasur. 3) So wie Bruno auch die Hs.; 'inductis' Hugo und Paul richtig. 4) 'rege' Hs., später mit blasser Tinte corrigiert 'regē'. 5) 'et beato petro' ist ausradiert, aber noch zu lesen. 6) So wie Bruno und Paul auch die Hs.; 'patrum deliquisset' Hugo. 7) Viel später in 'ea' verändert.